Jurkiewicz Gregorius: Poëtriae saeculis omnibus celeberrimae, quae in nuptias Joannis Formankowic etc evocavit.

POETRIÆ
Sæculis omnibus celeberrimæ
Quas
In Nuptias Spectatiſsimi Viri, Dni,
D. IOANNIS FORMANKOVIC,
CIVIS CRACOVIEN:
ET
Lectiſsimæ Virginis
ELISABETHÆ PIPANNIÆ
Clariſsimi Domini
D. GEORGII PIPAN
Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris,
Filiæ
Ad Epithalamium, boni ominis & auſpitij gratiâ, occinendum, è ſuo Parnaſso, in Vrbẽ Sarmatiæ Principẽ,
GREGORIVS IVRKIEWICZ, ARTIVM & Philoſophiæ Bac: euocauit & produxit.

CRACOVIÆ, Anno D. 1638.

Horatius lib. 1. Ode 13.

Felices ter & amplius
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Diuulsus querimonijs
Suprema citiùs soluet amor die.

[Specta-

Spectabilis Domine.

D. & MECÆNAS

Literarum mearum amplissime, S. P.

INter fauentissimas amicorum gratulationes, meas etiam quæ Tuo beneficio erumpunt in lucem Pöëtrias, admitte in conspectum, in hac solennitate Nuptiarum. Non erunt credo hospitibus, Tibiq; submolestæ; quæ Virginis Sponsæq; dotes ad optatum thalamum deducunt. Satis illarum cultum probauerit, qui candidus est. Virgines sunt, fucum neglexerunt: suâ simplicitate contentæ, quæ adeò Spectabili Dominationi Tuæ fauent, vt etiam de virginitate Sponsæ minùs sollicitæ sint: cum præsertim virginitatis iactura, cum fœnore lucroq; Matrimonij, regeneretur ad posteritatis solatiũ. An quæ tam blandum cantant Carmen, eadem felicitas habuerit Pöëtrias, non intelligo. Forsan, quam alijs gratulantur, optauerint sibi sortem, si tam dulcem & amænum sortitæ fuissent sponsum, quem carminibus commendant. Neq; verò contemptum admittunt, quæ suâ Pöësi, Pöëtas etiam ingenio potentes superârunt; vt ne esset qui succumbit inferior sexus, semperq; ferant ætatem apud posteros virgines, quæ virilem fortius & feliciùs retinent vigorem. Frusta mihi suam Propertius laudauerit Cynthiam: hæc lectissima, quæ felici luce domum dedu-

citur vxor, præstantior est, & digna magis, quæ cum Sapphone, Corynna & Erinne comparetur. Sappho quidem Princeps Poëtria fuit, sed vt dulcius caneret reliquam nunc sibi fecit perorationem: de qua nihil dicere, necesse est; siquidem Carmen Sapphicum omnibus mollius, & formosius Cupidinibus, sine marito peperit. Corynna porrò quàm sit bellatrix fortis in armis, vel Pindarus quinquies victus fatetur. Nisi quod (vt Pausanias ait) Doricæ linguæ balbutientem peregrinitatem, Ciuibus Aeolicis non probauit. Formanè magis an virtute virginis fuerit superatus, non liquet. Erynnem autem, Sapphonis Comitem sociamq́;, quanquam vnum Poëma (quod more suo Colum vocauit) trecentis versibus confecisset, cum Homero ingeniorum Dædalo, contulisse non dubitauit antiquitas. Non igitur has virgines hospites contempserit quisquam, quæ & suo ingenio sunt honoratæ, & præsentibus Nuptijs per quàm fauẽtes: Quas ego, sed me magis, fauori & beneuolentiæ, quam expertus sum toties, diligenter cõmendo.

Spectabilis Dominationis T.

deuotiss. & obsequentissimus cliens,

Gregorius Iurkievvicz.

CORYN-

CORYNNA.

I nterea celebras noua dum Sponſalia Sponſ E
O mnia fauſta tibi feruens precor; Aureus vt So L
A uratos fundat radios à vertice Olymp I
N oſtriſq; inſinuet ſolennia carmina Muſi S
N e lætis deſint Conuiuis omnia læt A.
E ia adſit viuax Genius, Bromiuſq; Pater, ſu B
S ecretiſq; adſit conſors thalamis Venus. Ecc E
F ormoſuſq; celerq; puer, iam ſpicula torque T
O ppugnatq; puellarum, oppugnatq; virorum o H
R obuſtas etiam mentes! ſunt omnia quip Pe
M ellea verba, Ioci, riſus, dulceſq; cachinn I
A bſtruſiq; ſimul ſenſus in pectore pup Pi
N unc ridet blandùm, ſua nunc temerarius arm A
C ongerit, & variè nectit de nomine Nome N
O mnia diſsimulans. Alludit amabilis Hyme N
V iribus & validus qui pectore Nixius im O
V ibrat in amplexu ſuſpiria. Mox Dea Corn V
I nſigni diues, nexuq; Leuanna potent I
C ana Fideſq; arctat Sponſos per fœdera Sacr A

ERIN-

ERYNNE.

VEſper ô Comites adeſt,
Docta dicite carmina,
Vota promite proſpera,
Virginiq; PIPANNIÆ
Ciuibuſq; diſertis.

Præſcius thalami Comes,
Lectulum in viduum ſibi
Arrogare fideliter
Virginem ambit, amabilem,
Cultam & ore decoram.

Ecce deproperant chori
Vt nouo geminent viro
Virginiq; lubentias,
Pulchra quas Venus ingerit
Et Cupido tenellus.

Ciuium lepidiſsime,
Sponſe Virginis optime,
Flammeum cape, lætus &
Pulſa humum pede libero,
Iam tibi datur vxor.

Inter

Inter optima Virgines
Quas Craci aſpicit Vrbs pia:
Inter optima Naiades
Vandalus ſuo in alueo
Quas habetq; habuitq;.

Vxor illa tibi datur
Optimi Patris Optima
Filia ELISABETH, ferens
Matris ingenium Suæ
Indolemq; ſerenam.

Hanc PIPAN, Patriæ Pater,
Filiabus amœnior,
Filijſq; beatior,
Ciuibuſq; fauentior,
Vltimam edidit Orbi.

Phæbus ingenium Viro
Et manus Medicas dedit:
Vt ſit & Podalirius
Aeſculapius, Hyppocras,
Vt ſit arte Machâòn.

Ille & anchora Ciuibus,
Et ſalus morientibus
Et beatior omnibus
Ficta fabula quos canit,
In miniſterio artis.

Non pi-

Non pius magis, ac neq;
Innocentior, æquior,
Iuris aut magis intimus
Arbiter fuerit, neq;
Quis disertior illo.

Ergo virgo serenior
Linque iam gremium tuæ
Matris, & gremium tui
I Viri pete, cui venis
Expetita puella.

Te Viro tremulus Pater,
Te Viro dedit & Parens;
Flere desine, desine,
Ecce Sponsus amabilis,
Sponsus ecce tuus iam est.

Nam quid interea times
Ille non minùs atq; tu
Pectore vritur intimo;
Quid moraris abit dies,
Prodeas noua nupta.

Tardat ingenuus pudor!
Flet quod ire necesse sit
In marita cubilia:
Quid moraris? abit dies.
Prodeas noua Nupta.

Prodit

Prodit ô noua Nupta iam, &
Pergit in thalamum ſuum,
Ore floridulo nitens
Alba parthenice velut
Luteumue papauer.

Quod capis cape, iam marite-
Vxor in thalamo eſt tibi
Ludite vt lubet & breui
Liberos ſimiles date
Liberoſq; venuſtos.

SAPPHO.

ECce in auguſtâ, ô teneræ Sorores,
Vrbe demittens oculos nitentes
Sponſa procedit: roſeus pudor quam,
Ritè colorat.

Naiades caſtæ, Driadumq; vernans
Turba, cum Nymphis veniunt pudicis
Gratiæ, & Muſæ dociles paratos
Promere verſus.

Iam choros aptis numeris frequentant,
Vota Solenni ingeminantq; voce,
Hoſpites læti: labor vnus omnes
Et manet ardor.

Vnam Elisam omnes celebrant PIPANNIAM—
Ore propenso, thalamumq; Sponsi
Auspicatum, omnes, nimium fauenti
Carmine, laudant.

Adfer huc vnguen, puer ac Liæum,
Adfer huc Stacten, genus omne succi,
Magma, pastillos, Syrijsq; vecta
Balsama ab oris.

Hæc dies solennis erit pudicæ
Virgini, & sponso quoq; erit, Patriq;
Et Parenti, vtroq; fauentibusq;
Ciuibus. Ecce,

Ponè iam Sponsum sequitur iuuenta
Feruidum spirans, sequitur voluptas
Prodiga, armatusq; pharetrâ & arcu
Cypridis infans.

Ponè sed Sponsam Geniusq; Hymenq;
Dotibus pulchris quam Erycina adornat,
Dotibus Pallas sapiens adornat,
Iunoq; diues.

Flectite in laudes Genitricis almæ
Flectite ô neruos faciles Sorores:
Quis neget porro Genitrici Amorum
Carmina docta.

Ante

Ante nec terræ facies inerti,
Nec ſuis ſtellis honor: & ſine vllis
Aura torpebat Zephyris, ſine vllis
Piſcibus vnda.

Prima de Patris gremio Cythera
Cæca naturæ miſerata membra,
Soluit antiquam, nimium beato
Fœdere, litem.

Illa ſupremis ſpatijs remouit
Lucidum hunc ignem, mediaſq; terras
Arte ſuſpendit, pelaguſq; molles
Inter & auras.

Tunc repentinis freta viſa monſtris
Feruere, & noua facie nouoq;
Flore, diffuſos aperire tellus
Dædala vultus.

Tum greges paſsim varios boumq; armenta, iam pictas volucres, feraſq;
Surgere, emotis erat hîc & illic
Cernere glebis.

Magna Amorum ergò genitrix, propago
Aurea, huc adſis, precor, & malignâ
Lite diſcuſſâ, tua da beata
Gaudia Sponſis.

Tu qu.

Tu quies rerumq́; hominumq́; ſola,
Tu graues curas, & amara feſsæ
Amoues menti, & refoues benignas
Pignore gentes.

Da pijs fructum, Dea pulchra, Sponſis:
Vt quod optârint liceat potiri,
Rideat dignus patre FORMAN-
KOVIVS hæres.

Rideat matri tenero labello,
Rideat pulcher facie, ſuiſq;
Moribus ſit, cum bonitate, gratus
Omnibus infans.

Luſimus tandem ſatis, ô ſorores,
Iam boni viuant, valeantq́; Sponſi,
Et valentem muneribus Iuuentam
Coniugij ornent.